



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Agatha V. M. 5. Februarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

sibi injicientem cultro tantum non jugulavit, mox errore intellecto persanavit. Ad ejus preces cum defunctus è feretro resurgeret, inter fugientium ab eo spectaculo turbam ipsum quoque vidisses. Fluvium cum trajicere non posset, in alteram ripam D. Magdalena unà cum equo transportavit. Eadem facienti adfuit, hominumque absentiam satis unica pensavit. Jam inter monachos mori sibi visus, & manibus MARIE ac FRIDERICI Cæsarum tumulari, flammam habuit arbitrari piaculares, Genios item bonos malosque, hos corvi exuviis horridos, illos cygneis (aut quascunque alias demum miramur & amamus) pennis superbos. Porro sacrificaturo mensam & vestes Cælitum ministrarunt. Cantantibus benedicere vidit ab alto Dei manum. Jam ad ægrum septem continuos dies Christus Christi que Mater (utique optimi medici) inviserunt. Cum morituro verò horas precarias iidem visi percurrere, & quidem cucullum etiam ipsi induti. Superi! vos comœdias & risum nobis datis mortalibus. Nos scilicet tragœdias & lacrimas reddimus. *Ex Casar. l. 7. c. 16.*

*Quia Christi nomine vocatus es Christianus, petendum tibi est, ut actu tuo nomen hoc sanctificetur & honoretur in te: quia sicut virtutum fama nominis tanti resplendet ad gloriam, ita malè conversantis infamia ad ejusdem nominis redundat injuriam. S. Pet. Chryl. serm. 69.*

S. AGATHA V. M. 5. Februarii.

**A**NNO CC. LIV. AGATHA Catanam ad Quintianum Prætozem abducitur. Deperibat hic Christi sponsam. Quare eam Aphrodisiæ lenæ commendat; facile ratus fidei castrum evertere, ubi

5. Feb.

VITÆ SANCTORVM.

73

ubi prodita pudoris arx conflagrasset. Ambulavit illa per omnes fraudes; sed cæcam ad munera, furdam ad blanditias & minas invenit. Itaque Prætor amorem vertit in odium, martyriq̄ue ubera auferri imperat. Tulit facile eam jacturam virgo, gnata Ecclesiæ sobolem non tam lacte matrum, quàm sanguine martyrum ali: sed nec uberibus diu caruit, medicinam D. Petro faciente. Quintianus, ex amatore jam carnifex, dum nudam in testatum fragminibus prunisq̄; volutari mandat, ecce mota insolite terra, cum duos supplicii auctores oppressisset, populum etiam ita commovit, ut re ad seditionem spectante, ad carcerem virgo reduceretur. Ibi inter vota animã in sinum ac amplexus Sponsi sui expiravit. Tumulum sepultæ Cælites marmore ornarunt cum hâc epigraphe: *Mentem sanctam, spontaneum honorem Deo, & patriæ liberationem.* Quintianus dum Panormum fortunas virginis direpturus trajicit, equorum calcibus in undas exturbatur, libidinis & avaritiæ sitim positurus. Ajuat corpus ejus nunquam repertum sepulchro caruisse. Nimirum, ut castitas ab Angelis, ita impuritas ne ab homine quidem meretur tumulari.

Ex Surio.

*Christi exemplo vivendum est tibi, o pudicitia amator, si Sanctorũ cupis habere consortium. Ab immunditia & turpitudinis cogitatu pectus emunda, quoniam nullos nisi sanctos & justos, simplices & continentis caelestis aula suscipiet.* S. Laur. Justin. Lign. Vitæ cap. 3.

BB. XXVI. JAPONES MM.

5. Februarii.

**N**ullam Oriens tam nobile, quàm Martyrum mittit purpuram. Eam anno M. D. XCVII.

D 2

sanguine